

agnoscas, codicum descriptionem, quam dederat Kingius, omisit; et v. 584. pro *τοιιάδ' ἀμφὶ σῆς λέγον*, audacter, sed tacite, edidit *τοιῖος ἀμφὶ σῆς λόγος*. Cum notam ad hunc locum scribebam, editionem tantum Morellianam præsto habebam. Immerito igitur Kingium culpavi, satis alioqui culpabilem. Lector benevolus errorem meum condonabit et corriget. Cum vero tot MSS. adhibuerit Kingius, editionem ejus, licet caute, consulere oportuit, ut eorum lectiones indagarem. In quo opere adjutus sum duobus codicibus conferendis, quibus ipse Kingius usus erat. Utriusque copiam Regiæ Societatis humanitate naetus sum. Horum alterum Kingius optimum Reg. Soc. codicem vocat. Verum is, quanquam non omnino inutilis, longe ab optimo distat, et valde recens est, utpote anno demum 1490 exaratus. Tres priores continet fabulas. Alter quoque totidem habet; sed initio et fine nunc mutilus est, et centum plus minus annis priori antiquior videtur. Criticam subinde exercere voluit scriba; varias enim lectiones nunc in margine, nunc inter versus aspersit, quas, quoties dignas judicavi, quæ commemorarentur, cum lectore communicavi. Usus sum præterea MS. Harleiano 5725, et ipso recenti. Hunc in Notis H voco, Kingii *optimum* scilicet K, alterum R. Verum omnes fere Codices parum ab antiquitate commendabiles sunt, et quo frequentius describuntur, eo gravius interpolantur.

Interpretandi et illustrandi labore, utilissimo sane, supersedendum duxi, partim ne libellus in librum